itinere à Patria urbe Mecca distans oppidum, ubi tutus esse posset, se recipiens. Atq; relatio hæc veritati rei gestæ omninò respondet: quicquid etiam falsi obtendant mendacissimi Arabes, fingentes ipsi, Gabrielem Arch-Angelum (ne forte jacturam faceret Arabia horrendi ac portentosi hujus monstri) has Muhammedi insidias detexisse, eidemq; Hegiram, h.e. fugam, consuluisse, quæ sequenti die secuta fuisset. Egregium verò hominem, scilicet, cui tutò salus committi humana possit! Quæ, quæso enim à vobis, A.A. spes relinquitur homini, si ipsum fugit refugium? Quod solatium, si præsidium opus habet præsidiô? Sed quàm impossibilis timor sit Muhammedis, nunc videamus. Videamus, quàm planè impossibile sit eum timere, qui, vertiginosô raptus Spiritu, Pseudo-Propheta esse cœperat? Quum enim puerilibus annis bipedum ille, quos Sol unquam vidit, aut terra sustinuit, nequissimus, furacissimô quæstu victum sibi et amictum quæsivisset: quum adultior deinceps latrocinia sibi familiaria latrocinando fecisset magicisq; inprimis artibus assuevisset; divinô, quod Arabes ferunt, Numine præter spem omnem afflatus, in fidelissimum divinæ mentis interpretem (risum teneatis amici) derepentè fa-